

infirmirate, vel impedimento extrinseco. Nullus autem conatus esse potest in voluntate, aut causa secunda ad operandum, remoto concursu Dei.

VOLUNTAS POTEST PATI VIOLENTIAM  
IN ACTIBUS IMPERATIS.

L. Circa tertium dubium breviter dicimus certam esse sententiam D. Thomæ, quod voluntas potest pati violentiam simpliciter in actibus imperatis faciendis per alias potentias, sicut posuit exemplum D. Thomæ quando membra exteriora impediuntur exequi imperium voluntatis. Si tamen voluntas imperet sibi ipsi, ut quando per unum actum imperat elicere alium, in tali actu imperato non potest voluntas simpliciter violentari, quia etiam actus elicited est, nec datur impedimentum sufficiens facere violentiam pro tali actu.

LI. Pro hujus conclusionis intelligentia notandum est, quod cum voluntas sit suprema potentia habens dominium in cæteras, potest imperare tum sibi, tum aliis potentiis: sibi quidem, ut quando ex uno actu procedit ad alium, ex vi prioris imperat sequentem, sicut ex intentione finis imperat electionem mediorum, et alios actus, qui circa media versantur. Aliis autem potentiis imperat, quia executio eorum, quæ voluntas vult, per alias potentias facienda est, ut si vult ambulare, legere, scribere, audire, et sic imperat voluntas istos actus tamquam executiones suæ voluntatis, et eodem modo potest imperare cessationem ab ipsis, sicut potest imperare, quod quiescat corpus, quod non moveatur de loco, etc. Et si ista executio ab extrinseco principio impediatur, fit violentia ipsi voluntati vel imperanti talem executionem.

Potest autem hoc impedimentum fieri, vel physice, vel moraliter. Physice, ut quando impedimentum physicum apponitur, ut vincula, vulnus, ægritudo, aut aliqua similia quæ in membris externis impediunt physice operationem fieri, et tunc potest pati violentiam facultas illa, seu potentia externa, et secundum se, et ut executiva imperii voluntatis, sicut vulneratus, aut vinculatus pedibus impeditur non solum ambulare, sed etiam voluntarie illum motum exequi. Moraliter autem impeditur aliquis, quando mediante apprehensione alicujus objecti detinetur, ut quando per intimationem potestatis superioris, aut per motum detinetur aliquis, aut retrahitur ab aliqua executione, aut ad illam compellitur.

LII. His suppositis, prima pars conclusionis caret difficultate, cum manifeste constet ipsa experientia: sæpe enim constat ipsa experientia contra voluntatis renitentiam, et imperium exteriores actus violente detinere, sicut infirmitate, aut vinculis, aut aliorum detentione, vel quacumque alia vi potest impedi executionem voluntatis ipsa imperante, et volente ut fiat; ergo violentiam potest pati voluntas in executione exteriori imperii sui.

LIII. Secunda pars est contra aliquos, qui putant voluntatem cogi posse etiam in actibus sibi ipsi imperatis, et a se elicendis. Sed oportet advertere, quod in istis actibus potest intelligi violentia, aut quia voluntas cogitur elicere contrarium actum, et diversum ab illo, quem imperat, et vult; aut quia cogitur cessare ab actu illo, qui imperatur, et non elicere illum. Primo modo impossibile est, quod sit actio in voluntate (ut ostendimus dubio primo) quia ille actus vere, et proprie est elicendus a voluntate, licet ex aliquo priori actu a quo imperatur, et

sic inter actus elicited computandus est, in quibus (ut diximus) non potest fieri violentia, quia hoc ipso quod elicited a voluntate, est actualis quædam inclinatio illius procedens a principio intrinseco, quod est voluntas; ergo non potest violentiam pati in isto actu, magis quam in aliis elicited a voluntate, alias si in actibus consecutis in voluntate, et imperatis ab aliis pateretur violentiam, non in omnibus elicited a se, diceretur non posse illam pati, sed solum in primo actu voluntatis, qui ab alio priori non derivatur, nec dependet; cum tamen in omnibus currat eadem ratio, quia procedunt a principio intrinseco tamquam actualis inclinatio, et pondus illius. Si autem secundo modo impediatur voluntas a cessatione actus, jam diximus præcedenti dubio, quomodo in tali cessatione non datur violentia, si id fiat per subtractionem objecti, vel suspensionem concursus divini; licet si ab aliqua particulari causa impediatur habere actum amoris, vel delectationis circa tale objectum, absentando, vel auferendo objectum, dicatur pati tristitiam, et violentiam aliquam circa tale objectum, saltem secundum quid, et ex suppositione prioris affectus, sed tamen licet relinquat actum amoris, elicited tamen actum tristitiæ, et in eo eliciedo non patitur violentiam. Omnis autem tristitia repugnantiam aliquam, et violentiam videtur inferre voluntati, quatenus circa objectum repugnans, et sibi contrarium versatur.

LIV. Est tamen notanda differentia quædam inter actus imperatos pro aliis potentiis, et pro ipsa voluntate, quod respectu aliarum potentiarum voluntas manet cum objecto, et cum concursu divino ad conandum, et resistendum contra illud impedimentum, quod sibi po-

nitur in potentiis executivis; de facto enim vult illud tolli. At vero respectu actuum a se eliciedorum, si impediatur voluntas elicere talem actum per suspensionem concursus vel subtractionem objecti, hoc ipso non solum impeditur executio, sed etiam volitio talis objecti, et talis actus habendi, quia deficiente objecto, et propositione ejus, non potest velle elicere actum circa illud, quia actus circa illud connotat tale objectum, et ita si vellet habere actum circa tale objectum, non posset non cognoscere tale objectum, sicut cognoscit actum circa illud. Quare ablato objecto non patitur violentiam in non eliciedo actum circa illud, aut non volendo illum elicere: et multo minus patietur hanc violentiam, si suspendatur concursus ad volendum objectum, vel ad eliciedum actum illum, qui debeat elici, sic enim naturaliter cessatur ab eo juxta dicta. Verum est tamen quod postea, si objectum iterum ei præsentatur, potest habere tristitiam de hoc, quod talem actum non habuerit: sed hoc est violentari secundum quid, id est, tristarum, quod hoc non fecerit, non autem de præsentati conari, et repugnare in oppositum. Quare D. Thomas solum posuit in præsentati exemplum violentiæ in actibus imperatis in aliis potentiis: « Ut exteriora membra, inquit, impedi possunt, ne imperium voluntatis exequantur. » In illis ergo proprie patitur voluntas vim, quia executio imperii ejus totaliter impeditur, remanente actu volendi contrarium, et renitente. Videatur etiam D. Thomas quæst. XII de veritate, art. v et VIII.

LV. Objicies: Violentia ista in aliis potentiis a voluntate, vel consistit in hoc, quod potentia inferior imperata operatur contra propriam inclinationem, vel solum contra inclinationem voluntatis, licet non

contra propriam. Primum non est verum, neque requisitum ad istam violentiam, quia potentia inferior est capax illius operationis, vel cessationis ab actu, verbi gratia intellectus, vel imaginativa est capax illius cognitionis, quam elicit contra imperium voluntatis, et etiam est capax cessationis ab actu, quem voluntas renuit; et similiter si facultas motiva impeditur operari, cessatio illa non est contra ipsam facultatem motivam, quia capax est illius cessationis a motu. Unde si voluntas non vellet oppositum, nulla esset violentia: ergo non est contra propriam inclinationem. Si dicatur secundum contra est, quia ista applicatio, ut est actus a voluntate procedens, et active imperans, non impeditur, quia revera elicitur a voluntate: ut autem recipitur passive in potentia imperata, non apparet quid sit talis applicatio; nam in intellectu, et imaginativa non fit applicatio per motum localem, nec apparet quid aliud supraddat talis applicatio, nisi aliquid morale, quod non sufficit ad violentiam physicam. In potentiis autem externis potest quidem fieri applicatio per motum localem, sed tunc currit argumentum, si ipse motus localis impediatur, tunc enim cessabit applicatio, quæ per talem motum fit, et tamen fit violentia, et voluntas contra nititur. Potest etiam e converso fieri applicatio a voluntate, et applicatione non sublata impediri actus potentiae inferioris, ut si apertis oculis, et applicatis nihil videatur, aut dæmone ponente impedimentum, aut Deo suspendente concursus; et tamen tunc nihil fit contra applicationem voluntatis, quia applicata manet potentia visiva, ergo non consistit violentia in eo, quod fiat contra applicationem voluntatis.

LVI. Confirmatur, quia vel volun-

tas efficaciter vult, ut potentia imperata operetur, vel non. Si non vult; ergo nulla fit violentia per hoc quod impediatur, quia voluntas inefficax non petit effectum habere, et sic etiamsi impediatur ab illo habendo, non patitur vim. Si vult efficaciter; ergo de facto operatur, quia illa voluntas dicitur efficax, quæ de facto influit, et habet effectum: tunc autem de facto non influit posito impedimento; ergo de facto non est efficax.

LVII. Respondetur ad violentiam actus imperati, non requiri quod sit contra propriam inclinationem potentiae inferioris, et imperatae secundum se, et secundum sibi propria, sed sufficit quot sit contra illam, ut executiva est, et nata obedire voluntati, sive sit potentia obediens despotice, ut manus, quæ sine renitentia obedit voluntati; sive sit obediens politice, quæ scilicet potest resistere voluntati, sicut appetitus sensitivus. Sufficit ergo quod sit potentia inferior, et executiva imperii voluntatis, nam in quantum executiva ejus, se habet illa potentia inferior, ut extensio quædam, et continuatio voluntatis: ideoque dicitur voluntas ipsa pati vim in aliquo sui, scilicet in executione sui voliti. Aliquando etiam potest inferior potentia impediri, et violentari cum præiudicio propriae operationis, ut si oculus lædatur, ne videat; manus vulneretur, ne agat, etiam imperante voluntate: aliquando vero sine læsione ipsius facultatis operativæ potest solum impediri exterius ne operetur, seu ut cesset ab operando, vel ut diverstat ad alias operationes contra voluntatis conatum, et imperium. Ad hoc autem parum conducit, quod talis applicatio voluntatis fiat per motum localem (quod non potest esse in applicatione ipsius potentiae motivæ, cum ipsa solum eliciat illum motum, et antequam moveatur

debeat præsupponi applicata vel per aliquid receptum in ipsa potentia inferiori, vel per solam sympathiam, vel aliquid morale. Quidquid enim de hoc sit, violentia in hoc solum consistit, quod illa potentia sit executiva voluntatis, et impediatur talis executio contra voluntatis imperium, et conatum: in hoc enim præcise ponit D. Thomas violentiam in actibus imperatis, scilicet, quatenus membra exteriora impediuntur, ne exequantur imperium voluntatis.

LVIII. Itaque ut detur violentia, sufficit quod executio voluntatis impediatur in potentiis sibi ministrantibus, et exequentibus imperium ejus. Et dicitur tunc fieri violentia ipsi voluntati, non quantum ad elicientiam actus, sed quoad executionem effectus: violentia enim in actibus imperatis, non in hoc fit, neque consistit, quod impediatur actus voluntatis, quo imperat (elicitur enim de facto actus ille imperii) sed in hoc quod impediatur effectus, seu executio, id enim imperatur. Quod si posita applicatione voluntatis in potentia imperata adhuc non sequatur actus, (ut objicitur in ultima replica) adhuc fit violentia voluntati, quia retardatur ejus executio ab illo impedimento extrinseco, undecumque veniat. Nec enim voluntas imperat, et applicat potentiam inferiorem propter ipsum solum applicari passive, sed propter effectum ex applicatione sequendum. Si ergo frustatur iste effectus, licet applicatio non tollatur, adhuc fit violentia voluntati.

LIX. Ad confirmationem respondetur, quod violentia fit contra voluntatem efficacem in imperando, et ordinando, licet non sit efficax in consequendo. Et quando dicitur, quod voluntas non est efficax quando de facto non influit, nec habet effectum, distinguo; quando non in-

fluit retrahendo se, et mutando propositum, concedo; quando non influit ex impedimento extrinseco, et per accidens, nego; tunc enim contra conatum ipsum voluntatis frustratur effectus non ex defectu intrinseco voluntatis. Et sic non deest efficacia voluntatis, licet non sequatur effectus. Etenim in voluntate creata, in cujus manu non sunt omnia media, et omnia requisita ad effectum, non debet regulari efficacitas penes ipsum eventum, et successum effectus, sed penes influentiam, et perseverantiam affectus de se. Debet itaque voluntas creata esse efficax quantum ad elicientiam actus, seu affectus absolute, et simpliciter; quantum ad executionem autem impedibiliter, et contingenter, et defectibiliter. Unde stante efficacia quantum ad effectum, potest pati violentiam quoad executionem, seu effectum, quoniam efficacia creata frustrabilis est, et impedibilis. Secus est de voluntate divina, quæ non solum est efficax in volendo, sed omnipotens in exequendo, et omnia, quæ ad aliquem effectum requiruntur, in manu ejus sunt, nec potest impediri ab aliquo ejus executio, nec aliquid potest effectum impedire, nisi ipse voluerit. Unde regulatur ejus efficacia penes effectum, ita quod si effectus non succedit, est quia retrahitur affectus; si enim ipse voluerit, nullum ponetur impedimentum. Et sic in Deo efficacia affectus, et effectus idem sunt, quia impediri a quoquam contra ejus voluntatem, non potest. In nobis autem stat bene efficacia affectus cum impedibilitate effectus, et consequenter cum violentia voluntatis respectu executionis.